

scripsit, Peregrin. *conf. 77, lib. 3, in eadem causa*, eumque sequuta est Rota *d. decis. 203, n. 24, p. 6, recent.* idcirco si dicimus donationem esse resolutam ita, & taliter, ut pro non facto habeatur, ut per *Dec. conf. 58, n. 18, ob clausulam, non aliter, &c. inde ex defectu conditionis* provenientis ex dicta clausula, fuit dominium bonorum donatorum reversum ad donatricem, Cyriac. *contr. 239, n. 5, usque ad 14, Rota in recent. p. 4, decis. 338, n. 2, & d. decis. 203, n. 3, & 4, p. 6.*

Neque urgent adducta per eundem Menoch. *d. conf. 1153, n. 17, ubi ad effectum incurrendi moram necessariam, aserit interpellationem, & quod donatio sub modo concepta præjudicare non posset, ob secutam contraventionem, nisi ei cui fuerat modus adjectus; quia, quoad moram illa fuit jam firmata in supradicta decisione, in hac causa emanata, & ex lapsu diei, eidem donationi appositæ fuit inducta; modus tamen verò considerari non potest, sed potius conditio ex clausula illa, non aliter, &c. Rota *d. decis. 203, ex n. 23, p. 6, recent.**

Neque resolutio favore donatricis excluditur ex verbis in pacto resolutivo appositis, importantibus personalitatem ad ipsos tantum t in mora existentes restrictam, ibi, *tunc, & eo casu, quoad ipsos tales, qui erunt in mora præfens donatio, &c.* & ideo contraventionem Com. Francisci non noceat ipsius filius, ut ponderat Menoch. *d. conf. 1153, n. 36, quia huic obiecto satisfacit Peregrin. d. conf. 77, n. 9, 10, & 11, quod scilicet ea verba censentur appositæ ad effectum declarandi, quod ob unius contraventionem, solum respectu ipsius resoluta esset donatio, quoad propriam, non autem alterius partem, non inde verò arguendum est, quod reversio donationis transire debuisset ad non contravenientes, vel alterius donatarii successores, contra naturam conditionis, t quæ operatur, ut statim etiam respectu sequentium resolvatur ipsa donatio conditionalis, cum clausula, non alias, &c. Rota *d. decis. 203, n. 23, cum seq. p. 6, recent.**

Insuper cum tres essent donatarii, & unicuique, ejusque descendentiæ esset donata tertia pars, cum supradicto t onere solutionis dictæ annuæ præstationis, & conditione reversionis, dicendum est, donatricem voluisse declarare ex contraventione unius resolutam donationem, non in toto, sed quoad partem non solventis dumtaxat, argumento *l. cui fundus, ff. de condit. & demonstrat. & sic ad tollendam disputationem, an requireretur non solutio omnium, & an sufficeret non solutio unius, pactum resolutivum fuit per supradicta verba conceptum, quemadmodum considerat Peregrin. d. conf. 77, n. 9, lib. 3.*

Supradicta corroborantur ex discretiva dispositione donatricis; tam in casum mortis, quam in casum delicti, in quibus casibus alios successivè vocavit, t unde si in casu inobservantiæ, bona ad illos spectare voluisset, non autem donationem haberi pro non facta quoad eos, qui cessarent in solutione, & consequenter bona donata ad se reverti, illos successivè vocasset in casu inobservantiæ, Menoch. *conf. 85, n. 110, & seq. cum aliis in Vierbieri. Castrorum 23, Maii 1635, coram bon. mem. Coccino, & in Valentina Juris secundi 16, Decembris ejusdem anni coram bon. mem. Merlino, & in aliis; & propterea cum fuerint solum contemplati in casum mortis, & delicti, non autem in casum resolutionis donationis ob non adimplementum conditionis, illorum t vocatio non habet locum nisi in casibus expressis, & sic mortis, & delicti, non autem inobservantiæ donationis,*

*l. cum de indebito, ff. de probation. l. commodissime, ff. de liber. & posthum. & bene in his terminis Rip. in l. ult. n. 218. & seq. C. de revoc. donat. quem sequitur Mantie. de tacit. lib. 13, tit. 48, n. 7.*

Posito quòd donatrix in casum moræ alterius ex hæredibus donatariorum, voluerit donationem haberi t pro non facta, certum est substitutos non posse venire per jus accrescendi, quia locum non habet in portione alterius, postquam illi fuit acquisita, præcipuè hoc casu, stante clausula adjecta in donatione, ita, & taliter quod quilibet ipsorum trium fratrum consequantur integram tertiam partem æqualiter, ut in puncto Bero. *conf. 72, ex n. 5, vol. 2, Peregrin. de fideicom. a. 9, n. 4, Et illis obstat pactum supradictum, quòd donatio habeatur pro non facta, si ita placuerit ipsi forori Claræ donatrici.*

Igitur donec vivit Comes Franciscus, qui contravenit, Domini censuerunt, donationem pro parte ad ipsum spectante, esse resolutam ad favorem dictæ sororis Claræ donatricis.

Et ita &c.

## DECISIO XXI.

R. P. D. ARGUELLES.

Anconitana Alimentorum.

Lunæ 4 Junii 1646.

## SUMMARIUM.

- 1 *Alimenta, & sumptus litis debentur constituti de paupertate, & bono Jure, Et de ratione n. 2. Quibus inspectis taxentur, nu. 11. & num. 12. Facilius conceduntur existenti in possessione n. 14.*
- 3 *Donatio bonorum presentium in Hispaniis non valet.*
- 4 *Paupertas naturaliter inest, & n. 6. Et præsumitur in non habente artem, nec bona, num. 5.*
- 7 *Frater dives fratrem pauperem tenetur alere. De administratis fratri, rationem reddere tenetur, n. 21.*
- 8 *Pauper quis dicatur? pendet ab arbitrio Judicis.*
- 9 *Boni juris præsumptionem decisio Rotæ inducit. Præsumptio semper adest in filio quoad bona patris, n. 10.*
- 13 *Oblatio, ut suffragetur, debet esse pura.*
- 15 *Minor impugnans transactionem, tenetur recepta restituere. Declara ut n. 16, & n. 18. & n. 19. & n. 20, & n. 22.*
- 17 *Versionem probare tenentur contrahentes cum minoribus.*
- 23 *Fontanell. decis. 139, n. 12, declaratur.*

**D**omino Vincentio Trogliono agenti ad nullitatem transactionis initæ cum D. Antonio Francisco fratre, & docenti de paupertate, & bono jure, t dixerunt Doctores deberi alimenta, & sumptus litis ex *l. si instituta 27, §. de inofficio- so ubi gloss. & Fab. ff. de inoffic. testam. l. finali, §. Quod si ei, & §. nam si tales Cod. de ordin. cognat. l. penult. ff. ut in possess. legat. Surd. de alim. tit. 1, quæst. 121, n. 4. Pontan. eod. tract. cap. 13, n. 1, latè Fontanell. de pact. nupt. tom. 2, gloss. 2, part. 4, nu. 22, ad 47, latissimè Castill. controv. lib. 3, c. 27, num. 4, & n. 68, Bovius decis. 304, n. 4, sanct. me. Greg. XV. decis. 189, n. 1, Buratt. decis. 15, n. 1, & decis. 707, n. eodem, & apud utrūque plenè Adden. Rota decis. 166, n. 2, p. 4, tom. 2, recent.*

*recent. in Fanen. dotis 20. Novembris 1641. coram R. P. D. Cerro, & in Bononien. alimentorum 3. Julii 1645, & 29. Januarii hujus anni coram Reverendiss. D. meo Decano. Quia sine alimentis, t & sumptibus, certum est quod nemo vivere, aut litigare posset l. minoribus 6. ff. de minor. l. Peitor 31. ff. de liber. legat. 2. in fine, ibi, sumptus recuset quasi vento vixerit, Cod. de alim. tit. viro præstan. & ibi scribentes; & fuit dictum in Ulixbonen. nullitatis professionis 29. Januarii proximi præteriti, coram me.*

Paupertas non controvertatur ab Antonio Francisco, nec erat controvertibilis; quia Vincentius donaverat eidem omnia sua bona, ut in ejus summario num. 1. Cum ergo nil sibi reservasset, præter alimenta, quæ etiam negabantur, satis apparebat de paupertate; ideò rectè apud Hispanos *l. 69. Tauri* quæ est repetita in *l. 8. tit. 10. nov. collat. statutum, nec donatio omnium bonorum t etiam presentium valet, & rationem reddit Molin. de primogen. Hispan. cap. 10. num. 16. quia per eam, libera testandi facultas admittitur, quod bene intelligit Azeved. in *l. 8. num. 4. versus finem, quod non longum temporis spatium intervenit; nam per tempus breve non præsumitur donans acquirere bona, de quibus testari possit: quæ doctrina bene applicatur in presentem, cum donatio facta fuerit 23. Aprilis 1643. Ex quo non potest præsumi mutatio, quæ nunquam præsumitur, præsertim in illis qualitatibus, quæ naturaliter insunt, t ut est paupertas. Mascard. de probat. conclus. 1078, n. 1. & 2. ubi plures, eoque minus in juvene, & Vincentio nobili, & nullam artem exercente, t neque in materiis, & modis acquisitionum edocto, sed qui militiæ operam dederat, ad *l. militis 31. C. de locat. l. unica C. negotiator num. milit. & pluribus relatis idem Mascard. concl. 1154, n. 35.***

Quod autem paupertas sit connaturalis intrinseca, & à jure t præsumpta, probat clarus textus in *C. sicut 11. caus. 8. dict. 47. ubi Zenod. in collect. 27, n. 13. & per eundem textum Mascard. conclus. 25, num. 2. Tusc. concl. 161. lit. P. nu. 1. Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 8. n. 3. versic. secundo ratio, Alciat. de præf. regul. 2. præf. 27. in principio, & per totam, Benineal. tract. de Pauper. quæst. 3. num. 5. & seq. Ludovic. dict. Perus. 37. nu. 5. vers. imo cum simus in dubio, Rota in præallegata Fanen. dotis, 20. Novembris 1641. §. Paupertas vita est sufficienter, coram R. P. D. Cerro.*

Quà stante paupertate, Franciscus Antonius dives, etiam de jure communi tenetur alere t Vincentium fratrem inopem, *l. Mutius 73. ff. de jure dotal. l. qui filium ff. ubi pupill. educ. deb. Gloss. in l. 1. §. sed nonnullos, verbo, præstiterit, ff. de tutel. & Rota distrah. Tiraquel. de jur. primogenit. quæst. 4. num. 33. Bald. consil. 103. num. 3. lib. 5. Cravet. consil. 199. n. 1. versic. tamen diligentiùs Aldobrand. consil. 28. nu. 26. Fontanell. de pact. claus. 7. gloss. 2. part. 4. n. 35. Castill. li. 3. controv. cap. 27. n. 93. Surd. dicto tit. 1. quæst. 113. n. final. in fine Rot. decis. 538. n. 4. part. 1. decis. 224. nu. 5. part. 1. decis. 92. num. 9. part. 5. recent. in Romana de Theodolis 6. Novembris 1592. coram Blanchetto in Romana dotis 16. coram Pirovano, & in Romana alimentorum 21. Junii 1627. quæ est in ordin. 95. num. 1. & seq. coram Reverendiss. D. Urgellen. confirmata 30. Januarii 1637. coram Reverendiss. D. Decano, quæ sunt magistrales & loquuntur in fortioribus terminis*

nampe de naturali, quòd sit alendus à fratre, & à nepote, ex pluribus comprobant.

Non obstat quòd Vincentius reservaverit sibi scuta 100. ad effectum testandi, quia hæc reservatio operari poterit, \* ne sibi videatur assumpsisse testamenti factionem, non autem ut non dicatur pauper, quod etiam pendet ab arbitrio Judicis. Fontanell. eodem tract. claus. 6. gloss. 2. p. 4. n. 25. Surd. tit. 7. q. 9. n. 10. & tit. 9. quæst. 37. n. 1. Castill. dicto lib. 3. contr. cap. 26. n. 6. qui multos cumulant.

Præsumptio, etiam boni juris visa fuit, ad favorem ejusdem Vincentii concurrere, ex eo, quia 16. Aprilis proxime præteriti, reportavit favorabilem decisionem, \* super nullitate præfata transactionis, quæ decisio proculdubio inducit præsumptionem boni Juris, sanct. mem. Greg. XV. decis. 524. nu. 4. Rota decis. 34. nu. 3. part. 7. recent. præsertim cum habetur in hac disputatione pro præsupposita, de stilo tribunalis, de quo in Romana Salviani de Castibus, 21. Junii 1641. coram R. P. D. Cerro, & maxime ista conclusio procedit in filio, \* cui pro bonis paternis, semper adest præsumptio boni Juris, *l. in suis 11. ff. de lib. & posth. l. nam est parentibus 15. ff. de inoff. testam. l. scripto 7. §. primo ff. unde lib. & ibidem Doctores.*

Quo verò ad quantitatem, censuerunt Doctores hujusmodi alimenta, & sumptus deberi ad quadraginta scuta menstrua, inspectis qualitate personarum, quantitate honorum, & necessitate Vincentii, quibus omnibus circumspectis \* esse taxanda docet Jurisconsultus in *l. si cui annum 14. ff. de An. & mensr. legat. l. Mela 14. & l. cum alimenta 22. ff. de alim. tit. & cib. legat. l. & ibi pupilli educ. d. b. lib. 2. Cod. de alim. præst. Covar. pract. quæst. cap. 6. nu. 7. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 15. n. 55. versic. sed verius, Surd. tit. 4. quæst. 18. n. 1. Fontanell. dicta claus. 6. gloss. 2. p. 3. n. 65. Gratian. discept. for. cap. 112. n. 1. Rota decis. 548. sub n. 9. p. 4. recent. cum aliis in Romana alimentorum 1. Aprilis 1639. coram Pirovano, in dicta Romana alimentorum coram RR. DD. meis Decano, & Vigellen. & Fanen. dotis coram R. P. D. Cerro.*

Non attento, quod in Instrumento transactionis, alimenta promissa fuerint Vincentio ad menstrua scut. 50. Quia animadvertent DD. Antonium Franciscum fecisse hanc promissionem; contemplatione proprietatis bonorum Vincentii; quia inde nanciscabatur. Ac propterea, cum ista contemplatio \* hodie evanuerit, visum fuit præstationem modernam, ad dicta menstrua scut. 40. ex quibus supradictis allegatis & signanter, Rota dicta decis. 156. numer. 5. & 6. p. 4. tom. 2. recent.

Nec retraxit Dominos declaratio facta in actis, per Antonium Franciscum, quod acceptat decisionem, & est promptus illi parere, & restituere bona sua Vincentio; quia oblatio \* non est pura, prout requiritur. Grat. *conf. 93, n. 75. lib. 1. Gabr. de solut. conclus. 8. n. 4. Card. Seraph. dec. 655. n. 5. sanct. mem. Greg. XV. decis. 492. n. 14. Idem non sufficit ad retardandam præstationem alimentorum; præsertim quia Vincentius est jam in quasi possessione illa percipiendi; \* quo casu facilis conceduntur, ut bene Barbof. in *l. ff. solut. marr. p. 1. n. 55. vers. & verior videatur, ubi ex Rota, & aliis sequitur Castill. d. c. 27. n. 39. ubi latè.**

Non est pura, quia habet conditionem extrinsecam, ibi, *cum hoc tamen quod Vincentius quoque restituat quidquid debet & signanter pecunias extrinsecas*

transacione receptas; ad quam restitutionem, licet minor qui impugnat transacionem + teneatur saltem in actu executionis, ut monet Imperator in l. unica C. de reput. l. quod si minor, §. restituitur, ff. de minor. & l. si diversa C. de transact. Molin. de primogenit. lib. 4, cap. 9, sub n. 43, Hoc tamen procedit eatenus, quatenus minor + ex pecuniis receptis factus sit locupletior, ut cavetur in l. sine hered. 32, §. interpositio 4, ff. de administrat. Tut. & multis aliis per Gloss. congestis in dicta l. unica verbo, restituere, Faber in rationabil. ad l. quod si minor 24, ff. §. restitutio 4, ff. de minor. Quod probandum est per allegantem; nam in omnibus, qui contrahunt + cum illis, qui non aliter obligari possunt, quam si in rem eorum pecuniæ versæ sunt, probatio incumbit eis qui pecuniam dederunt. l. Civitas 27, ff. de reb. credit. l. si prædium 16, Cod. de præd. minor. l. si in rem 3, Cod. quand. ex fact. Tut. vel Cur. Bart. dicta l. 27, num. 14, ubi Adden. plures cumulat, littera D. Anton. Fabr. in rational. ad eandem l. 27, ubi latè Rimin. jun. consil. 5, n. 16, & 17, ubi quod non probatur factus locupletior, ex eo solo, quod pecunias recepit; quia potuit illas male consumere. Giurb. decis. 103, num. 10, & 11, Rota decis. 60, num. 5, & 6, inter impressas apud Pic. de statut. Urb. lib. 3, c. 151, decis. 678, n. 7, p. 1, recent. & decis. 18, num. 28, & seq. coram Reverendiss. Urgellen.

Et maximè, quia contractus celebratus fuit in Urbe, & ejus nullitas provenit ex statut. Urbis lib. 1, cap. 151, & ex consil. Marchis. lib. 5, cap. 25, disponen. quod contractus initus à minore non adhibitis solemnitatibus, + præsumatur extortus dolo, qui excusat impugnantem à restitutione acceptorum. Bald. in dicta l. unica n. 2, oppos. 2, & Salic. ibidem oppos. eadem Cod. de reput. Gott. decis. 118, circa finem, & procul dubio quando (prout hic) non agitur de rescissione, + sed de nullitate contractus, ut pluribus relatis, bene Gregor. XV. sanct. mem. decis. 473, numer. 21, versic. quia dicuntur de restitutione, & signanter attento quod agitur, vigore commissionis Sanctissimi, quâ stante potest rectè agere, non restitutus acceptis, ut in terminis Card. Seraph. decis. 922, num. 1, & per tot.

20 Ultra quod etiam + Anton. Franciscus tenetur Vincentio restituere fructus perceptos ex bonis communibus Anconæ, + & de illis reddere rationem, sicut quilibet alius administrator, l. 1, §. officio, ubi Bald. ff. de Tut. mun. de ratio. cap. 32, n. 2, Greg. XV. decis. 30, n. 4, & decis. 187, n. 1. Ac propterea interim licitè potest Vincentius + quicquid habuit, retinere. Neguzan. de Pignor. 1, 3, nu. 11, 13, & seqq. Achill. decis. 4, de caus. poss. & propr. Seraph. dicta decis. 922, num. 8, ubi latè.

Nec visa fuit obesse decisioni Fontanell. 139, nu. 12, ibi, nec interim dentur alimenta, nec sumptus litis subministrantur \* actori ex adverso allegata; quia ne sibi contrarius videatur Fontanell. ex seipso explicandus est: Etenim in supra allegata clausula 6, gloss. 2, p. 4, n. 35, in puncto fratris, qui alteri fratri omnia sua bona cesserat, & agebat ad rescissionem, tenet alimenta, & sumptus litis deberi, stante boni Juris præsumptione, & ita in iisdem terminis decisum in Senatu Montisferrati, testatur Surd. dicto titul. 1, quæst. 113, dicto num. final. in fine; quia ambo respondent Doctoribus pro contraria, ab utroque citatis num. præcedent. & boni conferunt congesti præallegatis decisionibus, Romana alimentorum, coram

DD. Decano Urgellen. & Pirovano, & Fanen. dotis coram D. Cerro.

Denique nec refert quod post introductam causam in Rota, data fuerint scuta 145. Vincentio, in diversis vicibus; quia DD. ordinarunt hanc summam esse computandam ad debitum Vincentii, & sic Antonium fratrem teneri à die 19. Decembris anni præteriti, qua emanavit rescriptum Sanctissimi, super nullitate donationis, & subministratione alimentorum præstare Vincentio dicta menstrua scuta 40. usque ad realem & effectivam dimissionem suorum bonorum, ex dicto contractu nullo nulliter habitorum, demptis tamen dictis scutis 145, hucusque de ordine Rotæ solutis.

Et ita fuit decisum, coram Reverendiss. D. meo Dunozeo Decano in cujus absentis locum ego subrogatus, decisionem extendi, utraque parte audita.

## DECISIO XXII.

R. P. D. GHISILERIO.

Mediolanen. Donationis.

Lunæ 17. Decembris 1646.

## SUMMARIUM.

- 1 Donatio sub conditione, ea non adimpleta resolvitur. Ob inobservantiam resoluta, ad donantem revertitur, num. 5.
- 2 Donatum sub conditione contraria, censetur ademptum.
- 3 Contractus ex conventionione legem recipiunt.
- 4 Pacta in contractibus sunt servanda.
- 5 Substitutus in casum mortis donatarii, durante vita donatarii, non censetur vocatus.
- 6 Actus unus ab altero interpretationem recipit.
- 7 Noluisse quis præsumitur quod non disposuit.
- 8 Declinatoria non opponitur post consensum in Judicem.
- 9 Monasterium representat personam Monialis. Et de ratione, num. 11. Adit hæreditatem Moniali delatam, n. 12.
- 10 Donationem revocans tenetur accepta restituere. Declara ut num. 14.

Commissa mihi causâ appellationis interpositæ à sententia, per judicem delegatum Apostolicum lata, confirmatoria alterius Vicarii Mediolani, quæ præcesserat ad favorem Monasterii S. Mariæ Magdalene, sub die 10. Junii 1644. fuit dictum, donationem, de qua agitur, fuisse resolutam respectu Comitum Francisci, ob contraventionem, & moram in solvendo alimenta reservata donatrici, reservato quod particulariter videtur, ad ejus commodum fuerit resoluta, an Monasterii, seu potius substitutorum; sub die 16. Martii currentis anni prosequendo disputationem super reservatis; pariter fuit dictum, Donationem fuisse resolutam ad favorem Donatrici (& consequenter Monasterii ex ejus persona) durante tantum vitâ dicti Comitum Francisci contravenientis.

Concessa audientia substitutis, aliisque condonatoriis, DD. non obstantibus per illos adductis steterunt in decisis.

Ratio resolutionis fuit, quia cum donatio oblationem Comitum Francisci in solutione futurorum

torum 400. auri librar. 6. Imperialium, quæ donatrix in bonis donatis pro suis alimentis, donec viveret, quolibet anno sibi reservavit, propter pactum, quod haberetur pro non facta, essetque nullius roboris, & effectus, & non alias &c. resoluta sit pro parte spectante ad ipsum Comitum Franciscum, utique resolutio ex defectu conditionis inductæ ex clausula, non alias, &c. facit, + ut intret ad favorem Donatrici reservatio domini ipsi jure, Bart. Angel. Imol. & alii in l. 1. ad fin. ff. de donat. gloss. in l. traditionibus Cod. de pact. Dec. consil. 184, n. 4. Surd. cons. 369, n. 26. Pe-regriin. cons. 77, n. 7. lib. 3. Cyriac. controvers. 239, à n. 5. usque ad n. 14. Nam donatum + sub conditione censetur ademptum, sub contraria conditione l. aliquando, ff. de cond. & demonstr. Rimin. jun. cons. 222, n. 133. Surd. cons. 157, n. 9. Contractus + enim ex conventionione legem accipiunt l. 1. §. si convenerit, ff. de pos. & nulla major justitia est in contractibus, \* quam pacta servare. Bald. cons. 439, num. 1. vol. 1.

Non obstat, quod, ex quo donatio, de qua agitur, fuit facta Alberico Galeotto, Joanni Jacobo, & cujlibet ipsorum hæredibus, & successoribus, cum reciproca substitutione inter illos, censetur revocata quoad Comitum Franciscum, non autem quoad alios vocatos, & substitutos, cum tot censentur donationes, quot personæ, & unus habeat bona donata independentem ab alio; quia non versatur in revocatione, sed resolutione ex pacto resolutivo ab initio adjecto cum clausula, & non alias, &c. quæ facit, veniente casu resolutionis, dominium esse ipso jure retro translatum in Donatricem, ac si donatio facta non fuisset ex supra allegatis. \* Et cum in casum contraventionis non adit particularis dispositio, nec ullus sit datus substitutus, sed tantum in casum mortis, donec vivit is, qui contravenit, bona donata spectant ad donatricem juxta tradita per Rip. in l. generaliter n. 18, & seq. C. de revoc. donat. quem sequitur Mant. de tact. lib. 13, tit. 48, n. 7. quia substitutus \* in casum mortis donatarii, non censetur vocatus durante vita ejusdem Donatarii l. Statius §. Cornel. Felici, ff. de jur. sisc. & quamvis Donatarius possit in vita expressè restituere bona donata substituto l. post mortem C. de fideicom. non inde sequitur, quod substitutus ante mortem gravati capiat bona donata vigore substitutionis, cum interim, donec vivit gravatus, dicatur illa habere ex donatione sibi facta à gravato, non autem ab eo, qui ipsum substituit, ut tradunt communiter Doctores in d. l. post mortem.

Nec facit, quod, cum donatrix alius vocaverit in casum mortis, & in casum delicti, credendum sit, ejusdem intentionis fuisse etiam in casum non solutionis dictæ annuæ \* quantitatis sibi servatæ pro alimentis, cum unus actus ab altero interpretationem recipiat. §. ult. ubi Bart. ff. de leg. 3. Quia retorquetur argumentum, quod si vocavit alios successivè in casum mortis, prout etiam in casum delicti alicujus, non præsumitur, quod ita voluerit facere in non solutione dictæ annuæ quantitatis, cum facile ei fuisset hoc exprimere; quod cum non fecerit, \* præsumptio est noluisse facere juxta l. unicam, §. si autem ad deficientis C. de caduc. toll. cap. ad audientiam de decim. Cravett. consil. 161, n. 8. Joan. de Anan. cons. 22, n. 3, in fin. ubi respondet, quod si Testator in una parte testamenti faciat mentionem de filiis masculis, & in altera non, non dicitur idem disposuisse in ea, in qua facit mentionem, ut in altera, quia facile ei fuisset dicere si placuisset ita agere.

Non obstat defectus jurisdictionis Vicarii Mediolani Judicis, à quo, & sic quod processus remaneat nullus, quia ex concordia firmata inter forum Ecclesiasticum, & Laicalem Mediolani, & per sanctæ memoriæ Paulum V. confirmata sub c. 1. & 9. Jurisdictio in hoc casu præservatur Vicario, & datur electio actori Clerico, & Comes Franciscus comparuerit coram dicto Vicario, exhibendo schedulam depositi terminorum decursum, citando monasterium ad recipiendum, & reportando decretum favorabile, non amplius hodie, \* post duas sententias potest opponere declarationem fori, & defectum Jurisdictionis Vicarii, in quem confertur, ut in terminis firmavit Rot. decis. 305, n. 13, 14, p. 7. recent.

Pariter non subsistit, quod cum hoc jus revocandi donationem sit personale, & in alium non transferatur, hoc Judicium non possit intentari nomine Monasterii, etiamsi successerit in omnibus Juribus Donatrici, propter professionem in eo emissam. Quia cum jura sanguinis, proximitatis, & primogenituræ, alique longè magis personalissima, & quæ per quemquam representari nequeunt, per Monasterium tamen valeant; potuit Monasterium ex persona Donatrici, cujus placito est reservata facultas declarandi donationem resolutam, ob non solutionem alimentorum \* promissorum, eodem placito uti, & resolutionem declarare, cum in omnibus repræsentet personam Monialis, eique succedat. Bero. in cap. in presentia n. 530. de probat. Honded. consil. 99, n. 14, & seq. lib. 1. Surd. cons. 238, n. 4. quia voluntas Monialis \* translata est in Monasterium l. si Religiosus de elect. in 6. Hinc in simili, potest Monasterium adire hæreditatem Moniali delatam, \* licet jus adeundi sit personale, & cedi non possit. Sanchez in præcept. Decalog. lib. 7, cap. 12, n. 40. Castro Palaus aper. moral. tom. 3, tract. 16, disput. 3, punct. 3, punct. 5, num. 5.

Minus facit quod dictum Monasterium ante omnia teneatur restituere summam \* receptam intuitu dictæ donationis per text. in l. si diversa pars, ubi Bart. Salicet. & alii C. de transact. Paris. cons. 96, n. 112, vol. 1. Menoch. cons. 1111, n. 63. Nam quicquid sit, an dispositio dicti Textus habeat locum in donatione respectiva, certum est, non habere locum in casu, de quo agitur, in quo petitur rescissio donationis, aut ejus nullitas allegatur, sed agitur ad resolutionem ob pacta non servata, culpâ Comitum Francisci Donatarii, \* qui non adimplevit ex parte sua, quo casu non est facienda restitutio acceptorum, ut ad litteram firmavit Rota coram Caputaq. decis. 317, n. 3, p. 3, & deinde in Mediolanen. legati 11. Decembris 1593. coram Gypso, & faciunt tradita per Add. ad sanct. mem. Greg. XV. decis. 354, num. 17, vers. limitatur tertio.

Et ita pro confirmatione supradictarum decisionum fuit resolutum.

## DECISIO XXIII.

R. P. D. CORRADO.

Farsen. Bonorum.

Mercurii 13. Januarii 1647.

## SUMMARIUM.

- 1 Filiatio conjecturis probatur, respectu Patris. Declara ut num. 2. & num. 7. & num. 8.
- 3 Testes qualiter deponere debent, ad probandam